



QVANTVM Demostheni consumato apud Græcos oratori tribuerit Cicero: uel hinc manifeste potest colligi: quod quas in. M. Antonium scripsit orationes: in quibus Demosthenem imitari præcipuæ nititur: qui aliquot orationibus est in Philippum Macedonum regem Alexandri patrem inuectus: philippicas appellauit. Eas tamen ex ueteribus complures: & in primis. A. Gelius Antonianas nonnunquam suo nomine uocauerunt: & Demosthenem quidem ad Brutum scribens: multa in dicendo perficere: se conari multa: posse illum: uelle se dicit. Exitii hæ orationes Ciceroni causa fuere: dicente etiam Satyro Poeta.

O fortunatam natam me cōsule Romam

Antoni gladios potuit contēnere: si sic

Omnia dixisset: ridenda poemata malo:

Quam te conspicuæ diuina philippica famæ

Volueris a prima quæ proxima. Cum enim Triumviratum inualissent Octauius: Antoni⁹: Lepidus:

& atrocissimam illam proscriptionis tabulam Syllæ proponeret exemplo. ante omnes Ciceronem ad necem postulauit Antonius: Qui ea lege concessus est: ut. L. Cæsarem auunculum suum ipse cōcederet. Habita sunt hæ orationes a Cicerone partim in senatu: partim ad populum: post Iulium Cæsarem quattuor & .xx. uulneribus idibus Martiis confossum: Et hanc quidem primam kalendis Septembris Dolobella altero ex consulibus audiente: magna libertate: admirantibus cunctis: nec minore dixit facundia Cuius argumentum huiusmodi est.

Argumentum Primæ Philippicæ.



CÆSARE Tucidato. M. Antonio & Dolobella Conss. & si primo collaudari a multitudine interfectores: eius tamen in constantiam & opes amicorum Cæsaris: ac fraudes uerti Brutus & Cassius: Capitolium occuparunt: Idcirco timens Antonius cōsulatus abiectis insignibus & mutata ueste delituit. Verum quando nemini illos nocere accepit: turq; esse omnia: proditit e latebris: Senatus in Telluris æde habitus est: Multa pro concordia facta sunt uerba: Cicero illico princeps in illo ordine apparuit: cum recuperata libertas uideret

esse: pacem inter amicos & interfectores Cæsaris: qui Capitolium occupauerant: sua sit: Discordiarū memoriam sempiterna obliuione delendam censuit: Brutus & Cassius lætis omnibus e capitolio uocati: nō prius tamen descendere: q̄ Antonius & Lepidus uterq; silum suum obsides pro illis in capitolium mitterent. Et. C. quidem Cassium coenæ die illo Antonius: Lepidus Brutum adhibuit. Postridie uero eius diei cum de obliuione discordiarum: de prouinciis diuidendis Antonius retulisset: summo studio ei senatus assensus est etiam ut Cæsaris acta rata manerent. Magnam tunc omnium iudicio laudem est Antonius consecutus quod intestinum sua prudentia substulisse bellum: & recto consilio: ac ciuili animo uisus fuisset: Sed mutata mox eius uoluntas est: resq; ad seruitutem rursus: & cladem spectare cœpit. Quare offerenti legationem Dolobellæ: qui pro consul in Syriam proficiscebatur assensus est Cicero: & secutus quidē illum fuisset: nisi Pansa & Hircius designati Conss. & kalendis Ianuarii consulatum inituri retinuisent: rogantes ne imitatores: ac discipulos suos desereret: ope ac consilio eius Antonium anno cōsulatus sui penitus euerfuros pollicentes. Sed haud multo post Brutus & Cassius concitatae in se & ab amicis Cæsaris: & ab Antonio multitudinis furori & ueteranis quos timebant plurimum: cessere: Antium profecti: illicq; se continentes: neq; in urbem: quāq; licebat per Antonium redire uoluerunt. Quare cum omnibus: & sibi præcipue q̄ amicus interfectorum Cæsaris habebatur: formidolosus esset Antonius: ægreq; illius ferret impotentiam: ab eundem omnino Cicero statuit: ea spe: eoq; consilio: ut Athenas nauigaret: toto reliquo tempore Antoni consulatus illic futurus: & tunc demum rediturus: cum Pansa & Hircius cōsulatum inisset. Profectus itaq; est: & in Siciliam delatus: cum traicere in Græciam uellet: uento ad Leucopetram: pmonitorium id Calabriae est: relatus fuit: ubi reuertendi in urbem nouum cœpit consilium: cum mutatam Antoni uoluntatem intellexisset: & repudiatis malis suasoribus sese ad senatus auctoritatem totum contulisse: Sed reuersus prope in urbem nihilo meliora offendit q̄ proficiscens reliquerat: mo aperte: iam tyrannidem affectabat Antonius: armatos milites inter subsellia collocabat: quotiens in senatum ueniebat omniaq; uenalia habebat: cui magnam Ciceronis reditus attulit suspicionem. Cumq; postridie eius diei quo rediit Cicero: senatus haberetur: & adesse recusaret Cicero: uel quia fessus e uia: uel quod indicio quodam paratas sibi comparisset insidias: iturum se cum fabris: & Ciceronis domum demoliturum audiente senatu minatus est: misitq; milites: qui aut illum ducerent: aut si uenire recusaret: pignora saltem caperent. Id quidem ab illis factum est: q̄ pro sua dignitate tulit Cicero iniquissime: Veniensq; postridie in senatum cum profectiois suæ & reuersionis: ne quis fortasse minaretur: causas explicuisset: de. M. Antoni iniuria questus est: De repu. uero ita libere & magno animo locutus: ut admirati sint omnes uehemētissimi me. Quicquid in repu. a kalendis Martiis ad eam diem: quæ erat kalendæ Septembris acciderat: differuit. Mutationem Antoni uoluntatis pluribus arguit. Quæ eius esset sententia de tota repu. audacter: & de suo periculo nihil ueritus aperuit. Quā oratione irritatus Antonius inimicitias Ciceroni denunciauit.

Qua denuntiatione tantum abest ut deterritus quisquam sit: aut urbe cesserit ut multo etiam audacior quam prius factus: & illius: quamvis insolentissimi & impotentissimi minas ultro pro utilitate reipublicae irritare uisus sit. Postea. xiii. kalendas Octobris cum maxima armatorum caterua uenisset in senatum itipatus Antonius: & longa oratione: quam pluribus meditatatus fuerat diebus: in Ciceronem esset inuectus: ideo non affuit Cicero: cum mirum in modum cuperet: quod amici qui ad manifestum cognoscebant intentum proficisci retinere. Erant enim longe potentiora Antonii arma. Hinc summi uterque uiribus ad opes augendas conuersus est: & Antonius quidem undique comparabat auxilia. Cicero. C. Octavianus: qui postea Caesar Augustus cognominatus est. ad quem propter Caesaris auunculi eius nomen: & quod haeres relictus erat: ueterani milites confluebant: sibi adiunxit. neque difficile id sane fuit: cum & hereditate & magna pecunia fraudatus: magnisque ab Antonio contumeliosis esset affectus. Huc accedebant aliae causae complures. & in primis paterna quaedam amicitia. Hac re ita Ciceronis factio superior facta est: ita Ciceronis auctoritate atque opibus auctus: & sublatus est Octavianus: ut territus tandem Antonius urbem reliquerit: & patriae hostis iudicatus a senatu sit: In hac ergo Philippica: & quare ab urbe discesserit: & quamobrem redierit prius docet: deinde de iniuria Antonii queritur: cuius carpit impotentiam: studium suum: & operam omnem reipublicae pollicens.

INDELIBERATIVO uero causae genere uersari haec oratio principaliter uidetur: continet enim primum consistorum: quae Cicero habuit & in proficiscendo & in redeundo expositionem. Et quae sit eius de reipublicae sententia ac uoluntas. Incidit quidem demonstratiuum genus cum pluribus accusatur Antonius Rhetorice autem priusquam de reipublicae dicat: purgat obiecta: & quae auditoribus possent suspensionem facere: quo illis utatur aequioribus. Et est beneuolentiae captatio. Fecit idem in oratione pro Milone. idem & Milone praestitit apud Virgilium in ea: quam ad Didonem habet oratione: statim enim post breuissimum exordium purgat obstantia.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]